

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Bellum ad
cum fonte primo

Ex uultu, ex oculis,
ex omni conformatione membrorum
eos eligat qui implere ualeant bellatores.
Namque non tantum in hominibus
sed et iam in equis et canibus
uirtus multis declaratur indiciis.

Sit ergo adolescens Marcio operi deputandus
uigilantibus oculis, erecta ceruice,
lato pectore, humeris musculosis,
ualentibus digitis, longioribus brachiis,
uentre modicus, exilior cruribus,
suris et pedibus non superflua carne distentis
sed neruorum duricia collectis.
Cum hec in tirone signa deprehenderis,
proceritatem non magno opere desideres.
Utilius est enim fortes milites esse
quam grandes.

Ibidem (Vegecius de re militari libro I.)
capitulo VI.

Sed qui dilectum acturus est
vehementer intendat ut
ex uultu, ex oculis,
ex omni conformatione membrorum,
eos eligat qui implere ualeant bellatores.
Namque non tantum in hominibus
sed etiam in equis et canibus
uirtus multis declaratur indiciis,
sicut doctissimorum hominum disciplina
comprendit; quod etiam in apibus
Mantuanus auctor dicit esse seruandum:
Nam duo sunt genera: hic melior,
insignis et ore et rutilus clarus squamis,
ille horridus alter desidia latamque trahens
inglorius aluum.

Sit ergo adulescens Martio operi deputandus
uigilantibus oculis, erecta ceruice,
lato pectore, umeris musculosis,
ualentibus brachiis, digitis longioribus,
uentre modicus, exilior clunibus,
suris et pedibus non superflua carne distentis
sed neruorum duritia collectis.
Cum haec in tirone signa deprenderis,
proceritatem non magnopere desideres.
Utilius est enim fortes milites esse
quam grandes.

Publius Flavius Vegetius Renatus, *Epitoma rei
militaris*, 1.6.1-5 (M.D. Reeve ed., pp.10-11,
ll.11-24, 1-4).